

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1766**

II. Dispensatio Johannis XXII. intuitu matri. monii [...]

[urn:nbn:de:bsz:31-295134](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295134)

## II.

DISPENSATIO JOHANNIS XXII. INTUITU MATRI-  
MONII FRIDERICI MARCHIONIS DE BADEN CUM  
MARGARETHA COMITE DE  
VEHINGEN.

A N N O M C C C X X I V.

*Ex Originali.*

**J**OHANNES Episcopus servus servorum DEI. Venerabili Fratri.....  
Episcopo Spirensi *a)* salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex-  
hibita Nobis pro parte dilecti filii nobilis Viri Friderici Marchionis de  
Baden, & dilectæ in Christo filiæ Margarethæ *b)* Domicellæ natæ dile-  
cti filii nobilis viri Conradi senioris Comitis de Vehingen tuæ Diœcesis  
petitio continebat, quod ipsi ad submovendum, & amputandum omnium  
discordiarum, & guerrarum materiam evitandum cædes Personarum,  
quæ possent, si matrimonium dictæ Margarethæ ad Personas deveniret  
extraneas verisimiliter exoriri, & pro bono pacis interveniente commu-  
nium tractatu amicorum & Consanguineorum ipsorum intendunt invi-

*a)* Episcopus Spirensis tum fuit Beringerus Euringius, qui Conrado Scharffe-  
neccio anno præcedente successerat.

*b)* Margaretha hæc sponsa vel uxor fuit Friderici II. de quo vide supra Tom. II.  
pag. 33.

cem matrimonialiter copulari, sed quia tertio, & quarto consanguinitatis gradibus mutuo se contingunt; id non potest absque dispensatione sedis Apostolicæ provenire. Quare pro parte ipsorum fuit Nobis humiliter supplicatum, ut providere ipsis in hac parte de opportuna dispensationis beneficio dignaremur. Nos igitur, qui libenter Christi fidelibus quietis, & pacis commoda procuramus, hujusmodi discordiis, guerris, ac scandalis, & periculis, quæ exinde possent subsequi obviare, ipsorumque nobilium saluti, & tranquillitati providere salubriter cupientes, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, super quo tuam intendimus conscientiam onerare cum eisdem Friderico, & Margareta, ut impedimento, quod ex consanguinitate hujusmodi provenit non obstante matrimonium invicem libere contrahere, ac in sic contracto licite remanere possint auctoritate nostra dispenses, prout secundum Deum, & animarum ipsorum saluti videris expedire, prolem suscipiendam ex eodem matrimonio legitimam nunciando.

Datum Avinione VII Kalendas Novembris Pontificatus nostri anno nono.